



1544-1545

IHS

Archivo de Loyola

Sección 3<sup>a</sup> Serie 2<sup>a</sup> v.º 89

Est. 23

Plut. 4

Ma  
8

L. H. S.

de Loyola

te

o



Handwritten text in a cursive script, possibly a signature or a date, located on the right page. The text is written in brown ink and appears to be "15 de Mayo 1888".



I. H. S.

~~1-1-25~~

*Astrolabii declaratio a Jacobo Xæbelio*

*Parisius Apud Gulielmum Richardum 1545*

*Joannis Mbanduri institutiones Parisius ex off. J. L.*

**Año** 1544. 5 89 *Filetani.*

(Archivo de Loyola).

*qualeba de  
acotes y  
cosseñd  
ano de 1600  
años*



# Ioannis Mandu-

RI MONACHI DAMASCENI

*Primæ dogmatum institutiones.*

*De duabus Christi naturis & voluntatibus.*

*Hæresum quæ ad illius tēpora extiterunt, Catalogus.*

*Maximi de duabus Christi naturis.*

*Hæc omnia nunc primum de Græcis cōuersa & edita cum Græcis ipsis, Ioachimo Peronio Benedictino Cormœriaceno Interprete.*

*Ad D. Franciscum Burgium Riurorum Pontificem.*



*Parisus, ex officina Ioannis Lodoici Tile-*  
*tani, ex aduerso Collegij Remensis.*

1 5 4 4.



# Francisco Bur-

GIO RIVORVM PONTI-

fici Ioachimus Perionius Benedicti-

nus Cormæriacenus

S P D.

Ogitanti mihi quanam ra-  
tione egregiã in me volunta-  
tem tuã remunerari possem,  
librum quẽdam per antiquũ  
ex B. Hilarij Pictauiensis bi-  
bliotheca Ioannes Ganeius singulari et vir-  
tute & doctrina vir vtendum dedit: quem  
cum, vt fit, diligenter euoluerem, in Dama-  
sceni quãdam opuscula incidi, quã è Gra-  
co in latinum adhuc conuersa non fuerunt.  
Itaque primo quoque tẽpore illa mihi ver-  
tenda putauì, quòd sperarẽ, si ea ad te mit-  
terem, eò gratiora tibi fore, quòd tuo nomi-  
ne ad nostrorum hominum cognitionem pri-

ã ij



mum translata viderentur: præsertim cum  
ad rerum diuinarum, quæ claro pontifice,  
qualis es tu, digna est, scientiâ pertinerent.  
Primo enim libello primæ Theologiæ insti-  
tutiones, quæ ex parte diuinam naturam,  
& hypostasin consyderamus, continentur.  
Secundus est de duabus Christi naturis, vo-  
luntatibus, & actionibus: cui alterum de ea-  
dem re B. Maximi annexui. In tertio autem  
Damascenus omnes sectas et hæreses quæ  
post homines natos ad suam ætatem extite-  
runt, breuiter exponit. Hunc autem postre-  
mum qui legent, facile perspicient, eas fere  
omnes sententias quas horum temporum  
hæretici defendunt, iam olim & explosas  
& damnatas fuisse. Quod magis miror esse  
tam multos qui eorum sectam aut sectas  
potius (neque enim in tot sententias vul-  
gus vnquam distractum diuisumque fuit,  
quot isti sunt) sequantur. Mihi quidem cer-  
tè nihil magis populum Christianum in Chri-  
sti fide & religione retinere posse videtur,

quàm si hoc malum nõ nunc primum serpe-  
re, sed quondam cum natum iam conualuisset,  
maiorum nostrorum diligentia extinctum  
esse intelligat. Quod ut plerique alij libri  
multo fusius tradant, tamen hoc nec copen-  
diosius alius, nec doctius, nec verò facilius  
exponit. Facies igitur tu quidem, quod te di-  
gnum est sicuti adhuc fecisti, si eum cum tuis  
Riuianis comunicabis, eosque adhortabere,  
ut in eo nonnihil temporis consumant, aut  
potius eum diuturna meditatione excolant.  
Cum enim morbos eosdem qui his tempo-  
ribus sæuiunt, ex illo cognouerint, tum faci-  
lius in fidei & sinceritate & integritate,  
quàm tua diligentia eos seruare mihi ho-  
mines fide digni exposuerunt, continebun-  
tur. Nec verò tui soli, sed per te omnes qui  
volent hoc bono fruuntur. Tibi enim vni hoc  
totum qualecunque est offero & dono. Ita  
iure eius tibi possessionem vèdicare potes,  
cum alijs vsurum, quoniam nihil detrimèti ca-  
pies, communicare. Hos si tibi gratos acce-



ptōsque intellexero, equidem ad alia Theo-  
logica, quæ iam affecta sunt, tuo nomine di-  
uulganda incitabor. Hoc enim tempore ea  
modo quæ nondum conuersa erant, vna cū  
gracis edenda censui. Vale clarissime  
Pontifex, Lutetia Parisiorum IIII Non.  
Iulij. M. D. XLIIII.

i  
IOANNIS MONACHI DA

maseni, ad Ioannem sanctissimum Laodicensium  
episcopum de decretis & placitis primæ insti-  
tutiones. Ioachimo Peronio Benedicti-  
no Cormæriaceno interprete.

Atris, filij, & spiritus sancti nomi-  
ne, quæ vna tribus in personis consti-  
tit, & veneratione digna est diuini-  
tas, quæ vnius eiusdemque nature  
est, vitæque principium trinitas, unus  
deus, à quo omne bonum quod datur, & omne donum  
perfectum de celo ad nos mittitur, peccator ego & mi-  
ser impedita tardeque lingua homo, initium loquendi  
sumo: quod mihi tantum de eius humanitate persuadeam,  
ut si ad dicendum ingrediar, spiritum sanctum cum pro-  
pter eorum qui hoc à me petiuerunt demissionem, tum  
propter audientium utilitatem, mihi sapientem sermo-  
nem suppeditaturum esse confidam, qui & gratia est  
dominus, & omnium bonorum custos, & deus per-  
petua laude afficiendus in omnibus. Amen.

De essentia, natura, & forma. Cap. I.

Essentia, natura, genus, & forma, ut sanctis pa-  
tribus placet, idem valent: & rursus ὑπόστασις, id est,  
quod per se coheret, & πρὸς ὅσον, id est persona, fi-  
gura, proprium, & indiuiduum idem efficiunt: rursus dif-  
ferentia qualitas idiotus, id est proprietas, & ἰδιόμα, id est  
proprietas vnum idemque declarant. De his at-



que alijs eiusdem generis, quæ à me infra dignitatem tuam abiectus quæsisti, nobis propositum est dicere. hinc igitur ordiamur. Est quidem essentia natura et forma omnium præstantissima ea quæ comprehendi non potest diuinitas: hypostasis autem et persona, Pater, Filius, et Spiritus sanctus. Vnusquisque enim eorum perfecta est hypostasis, et perfecta persona. Est præterea in essentijs et naturis id omne quod deus creauit. Sunt autem à deo effecta permulta, eorumque magna est distinctio. Aliud enim est angelus, aliud homo, aliud bos, aliud canis, aliud cælum, aliud terra, aliud ignis, aliud aer, aliud aqua. Atque ut verbo vno finiam, eorum quæ in lucem edita sunt, genera sunt plura. Ac vniuscuiusque quidem speciei vna natura est, ut omnium angelorum vna est natura, et omnium hominum, et omnium bouum, itemque omnium eorum quæ creata sunt. Aliaque est angelorum, alia hominum, alia bouum, reliquorumque natura.

De hypostasi, persona, et indiuiduo. Cap. II.

Quoniam autem multi sunt homines, vnusquisque homo est hypostasis, id est res per se constans. Ut Adæ hypostasis est, et Eua alia hypostasis. Eadem est ratio cæterorum. Vnusquisque enim homo hypostasis est alia, alia reliquorum hominum. Itemque singuli boues hypostases sunt, id est res singulæ, et singuli angeli. Itaque natura, essentia, et forma quiddam commune est, eaque omnia quæ eiusdem sunt essentiæ naturæque complectuntur. At hypostasis indiuiduum, et persona, quiddam spe-

ciale est, ut res singulæ quæ eadem specie continentur.

De differentia, qualitate et proprietate. Cap. III.

Multas esse species, variasque ac diuersas naturas diximus: itemque in vnaquaque essentia et specie diuersæ sunt hypostases. Itaque vnaquæque essentia ab alia essentia differt, et vnaquæque hypostasis ab alia hypostasi. Ac res quidem illa quæ natura à natura, species à specie, atque hypostasis ab hypostasi alia ab alia distat, tum differentia, tum qualitas, tum proprietas dicitur. Veluti quoniam inter angelum et hominem hoc interest, quod ille immortalis est, mortalis homo: mortale et immortale differentia, qualitas, et proprietas est. Rursus quia Adæ, à Seth eo differt, quod Adæ non est genitus, Seth autem est: paternitas et filius, id est filij natura, quæ filiatio dicitur, sunt differentia. hoc enim Adæ et Seth inter se differunt, quod ille non est generatus, hic est. Omnia etiam eiusdem generis in differentiariū, qualitatiū, et proprietatiū numero habenda sunt, ut rationis particeps et rationis expers, mortale et immortale, bipes et quadrupes, sensus particeps et sensus expers, quod simum est et quod aquilinū, quod albū est et quod nigrū, quod longū est et quod decurtatū, cæteraque generis eiusdem.

De essentiali differentia, seu naturali differentia, et de accidenti. Cap. IIII.

Res autem omnis quæ species à specie differt, et essentia ab essentia, essentialis, naturalis, et speciei es-



fectrix appellatur tum differentia, tum qualitas, tum  
 proprietas naturalis, proprietásque natura. Ut ange-  
 lus & homo inter se mortalitate & immortalitate dif-  
 ferunt: ob eamque causam, immortalitas essentialis, na-  
 turalis, effectrixque est angeli differentia, & na-  
 turalis proprietas. Eodemque modo hominis differen-  
 tia est mortalitas. Hoc, etiã inter se homo & bos dif-  
 ferunt, quòd homo rationis est particeps, bos autè ex-  
 pers eiusdem. Ita fit, ut rationis particeps hominis: ra-  
 tionis autem expers bouis sit & essentialis, & effe-  
 ctrix differentia. Quod etiam de reliquis essentijs, natu-  
 ris atque formis iudicandum est eodem modo. Qua au-  
 tē re hypostasis ab eiusdē speciei atq; natura hyposta-  
 si differt, ea omnis & ἐστώδης, id est aduentitia dif-  
 ferentia, & qualitas, & proprietas hypostatica, &  
 proprietas characteristica, id est insignita, dicitur, id  
 est accidens. Ut inter vnum & alterum hominē hoc  
 interest, quòd hic longus, ille brevis est: hic albus, ille  
 ater: hic valet, ille aegrotat: hic pater est, ille filius. at-  
 que hæc omnia ceteraque eiusdē generis aduentitiæ  
 sunt differentia & qualitates: hypostatica atque cha-  
 racteristica proprietates, et assumptitiæ atque vno no-  
 mine omnes quæ in omnibus hypostasibus, id est rebus  
 singulis quæ eidē speciei subiecte sunt, a quæ intelligun-  
 tur, & sine quibus essentia & species consistere nullo  
 modo potest, essentielles differentia nominantur. Quæ  
 autem in aliquibus eiusdē speciei hypostasibus, id est

rebus singulis reperiuntur, in aliquibus non reperiun-  
 tur, eæ assumptæ & aduentitiæ sunt habendæ.

De accidente separabili & inseparabili. Cap. V.

Assumptarum autem alia à se separantur, alia nõ  
 separantur. Non separantur eæ quibus distat vna rerũ  
 singularum ab altera, ipsa autem à se nihil differt: ve-  
 luti certus homo ab alio differt, quòd ipse est pressis  
 naribus, ille autē aduncis: hic cæsus oculis, ille nigris:  
 sed ijs à se ipse nõ differt, propterea quòd is qui pressis  
 est naribus, semper est: & qui aduncis est, eas semper  
 obtinet: neque fieri potest, ut idem interdum sit pressis  
 naribus, interdum aduncis. Inseparabilia autē acciden-  
 tia vocantur, quòd cum semel in aliquo fuerint, nõ iam  
 diuelli seiungique possunt, sed tamen accidentia sunt:  
 quandoquidem fieri potest, ut non sit homo breuibus  
 naribus, & nariũ aduncitate non sit prædius, & ta-  
 men sit homo. Nam cum non omnes homines pressis  
 sint naribus, neq; omnes aduncis, tamen omnes homi-  
 nes quibus nariũ aduncitas data est sunt homines: &  
 omnes homines sunt rationis participes nõ autē omnes  
 rationis participes, homines sunt. Separabilia autem  
 sunt quæ ipse homo aut ipsa hypostasis, interdũ habet,  
 interdũ non habet, ut aegrotare, valere: ut sedere &  
 surgere: letari, et dolere, & si qua sunt generis eiusdē.

De ijs quæ sunt eiusdem essentia ac natura,

atque diuersa. Cap. VI.

Ea autē eiusdem essentia, natura, forma, speciei,



et generis sunt, quæ eisdem speciei, essentia quæ subijciuntur, ut Petrus, Paulus, ceterique homines singuli, omnesque boues, & canes, itemque reliqua omnia. Ea vero sunt diuersæ essentia, natura, forma, & generis, quæ alij atque alij speciei subsunt, alij atque alij essentia, cuiusmodi sunt homo, equus, bos, canis, ceteraque generis eiusdem.

## De genere, ac specie. Cap VII.

Genus autem in species ac formas diuiditur, ut animal vel rationis est particeps, vel eius expers: quorum animal genus est eius quod ratione utitur, et eius quod non utitur. Rationis autem particeps in mortalem hominem, & immortalem angelum: quorum particeps rationis genus est eius quod mortale est, et eius quod immortale: mortale autem & immortale species sunt eius quod ratione utitur. Sed quod planius fiat quod dixi, altius repetendum uidetur. Genus summum, est primum genus, quod ita genus est, ut non sit species, quod superius genus non habeat. Species autem infima est extrema & subiecta species, quæ sic est species, ut non sit genus, propterea quod alias species non habeat, in quas diuidatur. Ea autem quæ inter summum genus & infimas species locata sunt, generis ac speciei nominibus appelluntur, ita tamen ut eorum sint genera quæ eis subijciuntur, ac subsunt, species autem superiorum: quæ eadem uerba *ἰσχυρὰ* uocantur. Veluti essentia summum est genus: neque enim supra se aliud genus habet, ob

eamque causam non est species. Hæc autem in corpore & in id quod corpore uacat distribuitur: corpus in animatum & inanimatum: animatum in sentiens, & non sentiens: sentiens in id quod est rationis particeps, & rationis expers: quod rationis est particeps in id quod mortale est, & quod immortale. Quod autem uacat corpore, id & rationis est particeps, & mortalitatis expers. Incorpoream autem appello hic essentiam ut animam, ut angelum, ut demonem. Horum enim unumquodque species est infima. Corpus uero animatum sentiens, animal dicitur. Animal autem rationis particeps mortale, est homo, qui in specie infima numeratur. Animal porro rationis expers latras, canis est, qui etiam infima est species. Præterea corpus animatum non sentiens, planta et stirps uocatur: corpus autem omnino animi expers, terra, aer, aqua, ignis, quorum unumquodque species est infima. Quod autem hæc planiora & clariora fiant, ita dicamus, Essentia modo quodamquam sit essentia superiore, diuinitatem quæ increata est, complectitur: notitia autem, & complexu suo omnia ea continet quæ effecta sunt & creata. Genere autem summo continetur hæc corporis expers essentia, ut deus, ut angelus, ut animus, ut demon: aut corpus animo carens, ut ignis, aer, aqua, terra: aut corpus quod uiget, ut uitis, palma, olea, quæque sunt eiusdem generis: aut corpus animatum sentiens, id est animal, ut equus, canis, elephas, et similia: aut quod cōcreuit est ex corpore et animo qui



corpore caret, vt homo. Atque horum quidem essentia, quod prima est, & latissime manat, omniaque complectitur & continet, summū genus dicitur. Huius autem summi primi que generis species sunt, primum id quod corpore vacat, & corpus inanimatum: deinde corpus quod augetur, quod animatum est & sentit, id est animal, que eadem & genera et species ὑπὸ πολλὰ δicitur. Sunt enim essentia species, quod ex ea tanquam partes secentur: eorum autem vnumquodque in alias species diuiditur, quas complexu suo continet, & quibus patet latius. Complectitur enim essentia corpore vacans, deum, angelum, animum, demonē: corpus autem carens animo, terram, aquam, aerem, ignem: corpus autem augetur, vitem, oleam, palmam, & que sunt eiusdem generis: corpus verò animatum & sentiens, siue animal equum, bouem, canem, & que sunt similia: id autem quod ex corpore & animo qui corporis es expers constat, hominem comprehendit. Essentia porro que subicitur, ( multa autem significat ) est, vt deus, ut angelus, cælum, terra, aqua, ignis, aer, animal rationis expers, uolatile, uictum, lapis, homo, uita, possessio, patrimonium, diuitia.

Ac hypostasis quidem est, indiuiduum, & persona, pater, filius, & spiritus sanctus. Species autem que illa complectitur est, que & omnē superat essentia, & comprehendi non potest, diuinitas. Hypostases sunt etiam Michael, Gabriel, ceterique singuli angeli: spe-

cies autem eos complectens, angelica natura. Hypostases preterea sunt, Petrus, Paulus, Ioannes, ac reliqui singuli homines: que autem eos complexu suo continet species, est humana natura. Rursus hypostases sunt quidam & quidam equus, eosque vt species omnino equus complectitur. Preterea hypostases, id est res singulae sunt hac & illa olea, quas vigens & vniuersa olea vt species complectitur. Intelligendum est igitur, ea que sola indiuidua continent, species infimas uocari, cuiusmodi est angelus, homo, equus, canis, olea, palma, & que sunt eiusdem generis: que autem solas species infimas complectuntur, uocari ἐστὶν ὑπὸ ἁλλὰ, id est species subalternas, vt incorporeū, vt corpus quod animo caret, quod nō est sentiens, quod viget, quod animatum est, quod sentit, animal, quod rationis est particeps, quod eius expers est, quod mortale, & immortale, bipes, & quadrupes, quod graditur, et quod uolat, & que sunt generis eiusdem. Ac que species quidem infimas complectuntur, ea sunt illarum genera, earumque effectrices differentie: que autē à summo genere continentur, essentia sunt species. Sed aliter etiam de ijs dicendum est, Omnia que uno dei imperio facta sunt, vnius sunt generis. velut cum deus imperauit, ut multa piscium genera existerent, omnia piscium genera vno genere continentur, vnaqueque autē piscium differentia species est. Rursum cum præcepit deus, vt aqua in lucem volucres ederent, & creatae sunt multe



volucrum dissimilitudines, omnes aues unum genus expleuerunt: vnaqueque autem volucrum differentia illius generis auium est species. Eadem est ratio eorum quae repunt, & pecudum, & ferarum, & herbarum, & leguminum, & arborum. Dicitur autem vnum etiam genus omnium animalium, vnumque genus stirpium, vnum eorum quae animo carent omnino, neque vim habent augendi & alendi: rursus vnum genus eorum quae non habent corpus, & vnum eorum quae habent, dicitur. Quinetiam ea omnia quae creata sunt, vnum genus complent, multaue sunt rerum creatarum genera, omniumque creaturarum differentiae, & omnis essentia ac natura, vno genere continentur.

## De actione. Cap. VIII.

Actio est motus eius quod agit, cuius vis tota in faciendo est. Actio autem naturalis motus est naturae qui in faciendo versatur, ut mentis motus rationis particeps, motus animalis, motus sentiendi, alendi, augendi, generandi, itemque motus, qui appetitus dicitur, id est motus corporis: praeterea visio, memoria, voluptatis et irarum motus, voluntas & appetitus animi, quaeque sunt generis eiusdem. Haec autem in quinque partes distributa est. In angelis enim omnibusque naturis incorporeis, quae simplici impetu et concursu intelligunt, ea inest quae intelligentia continetur: in hominibus autem qui ex animo incorporeo & corpore constant, quique non simplici, sed vario ac multiplici cogitabundoque impe-

tu intelligunt, ea inest quae ratione & cogitatione efficitur. In animantibus vero rationis expertibus, quae sensum habent, nec ratiocinantur nec intelligunt, ea quae vitalis vocatur: vegetandi autem vis in iis inest, quae sensu illa quidem carent, sed tamen alendi, augendi, atque generandi facultatibus sunt praedita. Ea autem quae omnino vita caret, in terra & lapidibus, qui nec alendi, nec augendi, nec generandi vim habent, neque rursus aliqua alia, nisi statu participant.

## De perpeffione. Cap. IX.

Perpeffio siue acceptio naturalis, motus est naturae in eo quod patitur, in accipiendo positus, quae naturae est actio: eius autem in quod actio peruenit, perpeffio & acceptio, ut ortus, gaudium, aegritudo, angor, mœror, metus, pigritia, labor, somnus, voluptas, dolor, iracundia, cupiditas, abscisio, fluxus, interitus, quaeque sunt eiusdem generis. Haec & si qua sunt similia naturalia sunt, nec dantur vitio aut crimini, quod non sint nostrae potestatis. Solum autem peccatum contra naturam est animi perpeffio maxime vituperanda, eiusdemque interitus, nostraeque voluntatis atque iudicij est.

## De voluntate. Cap. X.

Voluntas est naturalis cum ratione appetitio. Rursus voluntas est naturalis cum ratione atque libertate aliquid appetens mentis motus. Ea enim quae rationis expertia sunt, non sua sponte ac libere ducuntur ad concupiscendum: quippe quae naturali desiderio suo mo-



ueantur, nec rationē ducem habeant, ob eamque causam naturam eius cupiditate victi ducem sequantur. Itaque statim toto impetu ad agendum feruntur, nisi quid impediatur. Quapropter non sunt sui iuris, & potestatis, sed libertatis expertia. Natura autem que ratione vititur, naturali cupiditati tum succubere potest, tum non succumbere, sed eam vincere. Idque declarat natura que cum vitæ cupiditate per se ducatur, tamen rationi obtemperat. Multi enim rationem ducem secuti summa voluntate ad mortem properauerunt, cibique somni atque reliquorum appetitione, cum naturam rationis arbitrio subiecissent, nec ei paruissent, neglexerunt. Vt igitur naturalis appetitio in omni natura sentiente insita est, sic libertate omnis natura rationis particeps est prædita. Quod enim ratione vititur, id omne sui iudicij est sueque potestatis, in eoque dei imago sita est. Est ergo voluntas naturalis libera appetendi vis & motio. Quæ autem voluntati proposita sunt ad appetendum ea iudicij voluntates appetitionesque dicuntur. Nam cum animus sit liber, accommodatum & proprium iudicium ad eorum usum & desiderium impellitur. Ea autem sunt, ut comedere & non comedere, bibere & non bibere, ambulare et non ambulare, ducere uxorem, & non ducere, itemque cætera eiusdem generis quæ in nobis sita sunt, quæ eadem in nostra sunt potestate, eorumque contraria.

FINIS.

EIVSDEM IOANNIS DAMASCENI DE DUABUS CHRISTI VOLUNTATIBUS & ACTIONIBUS, RELIQUISQUE NATURALIBUS PROPRIETATIBUS LIBER, EODEM INTERPRETE.

¶ Vi duas naturas & unam personam in domino nostro Iesu Christo esse profitentur, ij certè duplices easque diuersas naturarum: simplices autem, persone naturales proprietates profiteri

debet. Fieri enim non potest, ut natura constet sine ijs proprietatibus quæ ei sint naturales, quæque eam efficiant atque à cæteris naturis distinguant, quæque uniuersæ nunquam in alia specie esse dicantur. Fieri rursus non potest, ut vnus eiusdemque natura proprietates quæ eam efficiunt, & à cæteris personis quæ eiusdem sunt generis, secernunt, (personales dico proprietates quæ attributa & aduentitia moris est uocare ijs que in his rebus docti sunt) uniuersæ in alia persona reperiantur. Omnis res quæ ex duabus naturis constat, naturarum illarum proprietates necessario complectitur, etiamsi in earum coniunctione quædam videatur esse confusio. Nam cum ignis calidus & siccus sit, aqua frigida & humida, tamen cum ex quatuor elementis conflatur corpus, quatuor habet qualitates, calorem, frigus, siccitatem, et humorem. In quibus si temperatio quædam spectetur, necesse sit eorum quæ cõcreta sunt, naturales proprietates perspicere quæ



to magis in ea coniunctione, quæ ab omni confusione  
abest distatque plurimum? Natura enim cum natura  
comparatur, tum alia ab alia natura & species à spe-  
cie essentialibus naturalibusq; distinctionibus differ-  
re dicitur. Similiterq; cū hypostasis hypostasi eiusdē ge-  
neris comparatur, distare inter se dicuntur sibi insignitis  
proprietas, non tamen hypostasis hypostasi diuersi  
generis ut hypostasis cōparatur. Nā si Petri quævis pro-  
prietates hypostaticæ cū hoc equo cōferantur, eū à natu-  
rapotius q̄ ab hypostasi separabūt. Neq; enim certū ho-  
minē à certo equo differre dicimus, q̄ hic caluus sit, il-  
le bene comatus, nec quòd ille lōgus, hic sit breuis: sed  
quòd ille rationis est compos, hic expers, nec quòd hic  
huius, ille illius sit filius. Sin hunc Nestoris filium, illū  
equi foetum esse dicamus, atque alterū sapientē, alterū  
sapientiæ expertē, iam naturales differentiæ distinctiones  
que statuētur. Hominum enim hypostaticæ, id est quæ  
singulos homines attingunt, distinctiones, cum equorū  
differentijs hypostaticis collatæ, naturales habentur.  
Itaq; in domino nostro Iesu Christo corporis statura  
uultusq; atq; oris lineamēta, et eius ortus ex uirgine si  
ad eū ortū quo à deo patre est sine vlla essentiæ diui-  
sione editus, referantur, non ad personas, sed ad natu-  
ras separandas pertinebunt. Nam quòd ex duabus na-  
turis vna persona constat, tam hæ quàm illæ, id est, tā  
diuinæ naturæ, quàm humane personales proprietate-  
res, ex eo eiusdem personæ hypostaticæ fiunt. Sapiētē

igitur uniuersitatis parens & effector plurimas natu-  
rarum, id est formarum differentias dissimilitudinē  
que procreauit, ut sapientiæ ac potestatis suæ excellentiā  
ostēderet, quò plus ipse admiratione affectus expete-  
retur, expetitus cognosceretur, cognitus ad diuinā simi-  
litudinē animal quod mētis et rationis est particeps, tra-  
duceret, ob eamque causam multas rerū species fabri-  
catus est. Nā & ea illius quæ sub aspectū uon cadūt,  
iam ab orbe condito ex eius operibus intelliguntur, ac  
perspicuntur: & ex rerū quas condidit pulchritudi-  
ne collatione rationis rerum effector comprehenditur.  
Rerum autem singularum in quaque specie tum diffe-  
rentiam, tum earum inter se conuenientiam effecit, ita  
tamen ut conuenientia quidem sit naturarum (omnes  
enim res singule quæ eidem speciei subijciuntur, natu-  
ræ vi & ratione coherent) hypostaseon autem, id est  
rerum singularū sit differentia: distant enim inter se  
insignitis quibusdam impressisq; proprietatibus. Quo-  
niam enim quod unū est & solū à societate & cōmuni-  
one abhorret, ac insuaue est: societate autem coniungi  
cū ijs quæ eiusdē sunt generis, iucundum & suaue: ob  
eam causam prima hæc & sola beata, principio ca-  
rens, atque immortalis natura tribus in personis per-  
spicitur. At enim ea quæ per se coheret sapientiæ, Ego  
sum qua gaudebat pater & deus. Ob eamq; cau-  
sam non in singulis modo angelicarum uirtutum or-  
dibus diuersas res singulas condidit, verum etiam in



quaque specie. ut cum natura coniunctione inter se  
 consociatae alia etiam alijs voluptatem afferant, &  
 naturali habitu & figura coniunctae alia alijs et pro-  
 sint, & consulant. Rerum autem singularum dissemi-  
 litudo, quod cuiusque est non toto natura & posses-  
 sionis genere ab alieno separat: ut quisque quod  
 suum est dum cognoscit, id tueatur, nec in alienas o-  
 pes ut in suas inuadat, utque suum quisque statum ui-  
 tamque cognoscat. Debet enim omnis qui de aliqua re-  
 querit, primum quid sit cognoscere, deinde ita demum si-  
 ne unum an duo exquirere. Quod ego hoc tempore ad do-  
 mini nostri Iesu Christi voluntates, actiones, et reliquas  
 proprietates, de quibus querimus, accommodari uolo.  
 Sed quod id fiat planius, primum dicamus quid inter na-  
 turam & personam intersit: deinde eo cognito facile &  
 quae naturam & quae personam conficiunt proprie-  
 tates, intelligemus. Atque ita denique sint ne ea quae  
 in domino nostro Iesu Christo insunt, duplicia an sim-  
 plicia considerabimus. Natura quidem, ut placet san-  
 ctis patribus, commune quiddam est & infinitum, et  
 quasi infima species, ut homo, bestia, animal uolucres,  
 equus, bos, canis. Hypostasis autem est quiddam sin-  
 gulare quod per se cohaeret: essentia etiam quaedam cum suis  
 attributis, quae hypostasin, id est rem per se constantem a  
 reliquis reuera separat atque secernit, quae cum ijs indi-  
 uidijs quae eiusdem sunt speciei naturae habet com-  
 munitium: attributis autem quibusdam insignitis, ab ijs indi-

uidijs quae eiusdem & naturae & speciei sunt, differt.  
 Atque ut summam dicam, natura est id quod com-  
 mune est, ut humanitas. Petrus enim & Paulus sunt  
 homines & reliqui singuli. Hypostasis autem est id  
 quod speciale est, ut hic & ille. Petrus una est hypo-  
 stasis, Paulus alia est hypostasis: non etiam Petrus a-  
 lia, & Paulus alia natura, sed Petrus hypostasis est,  
 quae perfectam naturam humanam habet, ob eamque  
 causam perfectus & completus est homo. Item quae  
 alia est Paulus hypostasis, quae eandem perfectam ha-  
 bet naturam humanitatis. Ac eandem quidem natu-  
 ram habet perfectam unaquaeque hominum hyposta-  
 sis, non tamen unam eademque habent omnes homi-  
 nes hypostasin. Alius enim est Petrus, alius Paulus,  
 aliaque atque alia est eorum hypostasis, non alia au-  
 tem est natura Petrus, & alia Paulus. omnes enim ho-  
 mines natura una continentur. \* Itemque equus albus,  
 aut uelox, eodem modo & bos qui uno cornu praedi-  
 titus est, & canis paruus, & leo flauus. Atque haec  
 quidem de natura & hypostasi satis multa sunt ad id  
 quod agimus. Nunc sequitur, ut quid sit naturae pro-  
 prietas, et quid hypostasis proprietas, quidque inter il-  
 la intersit, dicendum esse videatur. Natura quidem  
 proprietas est, quod naturam efficit, sine quo natura cuius  
 est proprietas constare nullo modo potest. Ut uita  
 ratio, uoluntas, sensus, incessus, respiratio. Haec au-  
 tem in homine spectantur. Quod enim rationis non est



particeps, non est homo, quoniã homo non oritur, qui non ratione viatur. siue probe, siue improbe. Itemque nemo nascitur, qui non sensibus percipiat, neque ingrediatur, neque respiret. Naturæ igitur proprietates est quod naturam construit, speciẽque à specie secernit, id est naturam ab alia natura, & in quaque eiusdem speciei hypostasi perspicitur, vt rationis particeps. Efficit enim hominis naturã, cum in eius definitione sumatur. Est enim hõ animal rationis particeps mortale, separãtq; rationis particeps hominẽ ab iis omnibus, que sunt expertia rationis. Omnis enim hõ rationis est particeps. Neque enim homo est is qui non ratione viatur, quippe cũ homo nõ possit nõ esse animal rationis particeps mortale. Hypostasis autem proprietates, est quod hypostasin separat. ut nariũ breuitas, candor, atrox, caluitiũ, & que sunt eiusmodi. Neq; enim õnes homines pressis sunt naribus, sed alius est pressis, alius adũcis: aliõ apte cõposuis: nec õis hõ est cãdidus, sed hic albus, niger ille alius inter hos temperatus. nec õis caluus, sed unus caluus, alter capillorũ multitudine insignis. Atq; ut summatim dicã, in natura humana, oes eæ proprietates que omnibus hominibus datæ sunt à deo effectu re, naturales vocantur, vt & sanctis patribus visum est, & vera ratio præscribit. que eadem sunt fictionis & separationis. Natura enim vis est diuino iussu vnique speciei data, que eam aptam reddit & ad faciendum quid & ad patiendum. itaque oculos habe

re & nares, & cætera membra, naturæ est, qui enim altero eorum priuatus est, is non est homo perfectus. Eorum autem distinctio & differentia, ad hypostasin accommodatur. vt aspectus & cernere naturæ est. diuersus autem aspectus, id est valens & imbecillus, hypostaseos. Itemque cibi appetitus & comedere, ad naturam: cupiditas diuersorum ciborum, & diuersa cupiditas, vel inflammata, vel remissa, ad hypostasin pertinet. Eodemque modo voluntas & uelle naturæ est: varietas voluntatis, & variis modis uelle, hypostaseos. Que autem in nonnullis rebus singulis eiusdem speciei perspicuntur, in aliis non perspicuntur: eæ sunt hypostaseos proprietates. Intelligendũ est igitur, omnem hominum hypostasin statim habere, eãque cum non esset ex rebus que non erant, creatoris beneficio in lucem editam, id est conditam fuisse, vitæ que, actionis, sensus, intelligentiæ, rationis, & appetitus, factam fuisse participem, id est & ea que sunt arbitrij, et ea que aduentitia, in omnibus constitisse. Atque hæc quidem sunt essentiæ, atque naturæ propria. Eorum autem propriæ rationes, distinctique motus, proprietates sunt rerum singularum. Eandem enim naturam eorum indicat communio. Ratio autem coherendi diuisãq; et proprio quodã modo cõglutinata hypostasis, & cuiusque coagmetatio, & proprius in mouendo, diuersusque eorum que naturæ sunt vsus, hypostases, id est res singulas distinctas de-



clarat, facitque vt multi homines esse dicantur. Quā-  
propter in Patre, Filio & Spiritu sancto, quoniā di-  
uersa est vnus cuiusque persona, nec separatim aut di-  
stincte quasi discreta vnaqueque vult & agit, sed cō-  
iuncte: non tres, sed vnus est deus. His ita constitutis,  
videamus num in Christo duæ sint naturæ, tum cogno-  
scemus, an duas naturæ proprietates habeat. Constare  
enim natura sine naturæ suæ proprietatibus nullo mo-  
do potest. Perfectus quidē deus Christus est, perfectus  
etiam homo, & certe post naturarum coniunctionem  
& vnionem, tum in diuinitate perfectus, tū in huma-  
nitate. Diuinitas autem & humanitas sumi ne vna na-  
tura, an duæ? Duæ sunt reuera. Alia est enim diuinita-  
tis natura, alia humanitatis. Ergo duæ sunt in Christo  
naturæ, & Christus in duabus naturis cernitur: siqui-  
dem deus est perfectus, & homo perfectus. Rursus  
Christumne ex duabus omnino naturis constare profi-  
temur? Prorsus. Cur ex duabus? Quia ex diuinitate cō-  
stat, et humanitate. Quid enim diuinitatis & humani-  
tatis uerba declarant? duasne naturas indicant? Pro-  
sus. Neq; enim vna est diuinitatis humanitatisq; natu-  
ra. Deinde Christū ne in diuinitate et humanitate post  
naturarum coniunctionem consistere cōcedimus? Cer-  
te. Si ergo post, vt ita dicā, vnionem in diuinitate eum  
& in humanitate consistere profitemur: diuinitas autē  
& humanitas non vna natura sunt, sed duæ: profecto  
in duabus eum naturis consistere concedimus. Rursus

si habet Christus Patris naturam, etiam post coniun-  
ctionem perfectam & eiusmodi cui nihil desit, immu-  
tabilem, & confusionis omnis expertē, Dei & Patris  
natura, & sanctæ virginis, sunt ne una an duæ? Pro-  
sus duæ. Sunt igitur duæ in Christo naturæ post coniu-  
ctionem. Neque enim in Christo ante vnionem duæ e-  
rant naturæ, sed vna Patris. At fieri nō potest, vt vna  
eademque natura creata sit, & non creata: principiu  
habuerit, & non habuerit: patiatur & non patiatur.  
Si enim habuit principium, non caret principio: & si  
increata est non fuit creata. Ita Christus non vna na-  
tura est, sed una persona duabus prædita naturis, qua-  
rum vna est increata, creata altera, vna sine principio,  
altera principium habuit. Iam verò si ex naturis diuer-  
sis natura constat, neutra earum eiusdem est essentia.  
Simplex enim suam tantum & simplicē habet defini-  
tionē: ea autē quæ concreta est, aliā eamq; cōcretā et co-  
pulatam, fieri autem non potest, vt ea quæ alia atque  
alia definitione continentur, eiusdem sint essentia. Si er-  
go vna est natura Christus, quo tandem pacto eiusdē  
erit natura cuius & pater & mater est? Ille enim  
deus est, hæc homo: dei autem & hominis non est una  
natura, quandoquidem non vna est diuinitatis huma-  
nitateque definitio. Est enim deus creator: illa autem  
creatura. Præterea cum una eademque natura eiusdem  
essentia cuius sunt diuersæ essentia & naturæ, non di-  
catur, nec vnus personæ natura eiusdem essentia esse



dicatur, cuius sunt personæ diuersæ essentia: si vna esset natura Christus post coniunctionem, quo tandem pacto eiusdem erit essentia, cuius pater et mater, quorum est essentia diuersa? Christum autem vnam esse personam non duas, hinc etiã intelligi licet. Est ne vnus filius Christus, an duo? Vnus certe. Duæ autem personæ qui erit, si vnus est filius? Nam si duæ sunt personæ, alius atque alius Deus Verbum erit, nec iam vnus erit filius. Rursus si duæ sunt personæ Christi, sedent ad Patris dextram in Cherabico solio, easq; una cum Patre ac Spiritu res omnis quæ est effecta veneratur et adorat. Ita non trinitatē adoramus. Præterea si vna est Christi natura post cōiunctionē, quomō benignitas nominatur? nēpe Dei hominisq; cōiunctio. Quæ tandem natura? Si vna est, nō est dubiū quin vnā eius naturā: nō igitur eius diuina cū homine cōiunctio, & quæ in Christo est patitur diuinitas. Rursus si passus est Christus, certe eius diuinitas passa est, aut eius humanitas. Vtra natura? certe humana. Eius autē diuinitas an impatiens remansit? Certe natura eius quæ passa est, & quæ non est passa, eademne est, an alia atque alia? Quo autem modo vna erit duæ? Atqui duæ nature vna natura non sunt, sed vna persona in duabus naturis, quarum vnæ non patitur, patitur altera. \* Sed Deus prohibeat ne alij rei seruiamus nisi sanctæ trinitati: Patri, qui vna est persona: Filio, dei Verbo, qui carnē assumpsit, et vna persona cum illius carne cōstitit.

et Spiritui sancto, qui etiã est vna persona: Deus in quā prohibeat, ne alij nisi sanctissimæ & præclaræ trinitati seruiamus. Vt enim gladius igne micās, postquā ignem & flammā recepit, vnus etiam est: sic Christus vnus est & vna persona post incarnationem. Et quemadmodum gladium flammeum nō audeo attingere, non propter ferri naturam, sed propter ignis naturam qui coniunctus est: sic Filiū, Dei Verbum carni coniunctum veneror & adoro, vnaque carnem veneror nō propter carnis naturā, sed propter Dei Verbum quod ei coniunctum est. Regem quoque vnā cum purpura adoro, purpuramque propter regem ueneror. Atqui regis & vestis non est hypostatica cōiunctio, nec interminata, nec sempiterna: in Christo autem deo nostro est. Itaq; vt vnum sanctæ Trinitatis vna cum Patre & Spiritu sancto, Christum incarnatum dei filium & deum veneror & adoro. Demonstratum est igitur duas naturas Christi esse, vnamque personam. Quod si duabus naturis continetur, certe duarum naturarum naturales proprietates in eo perfecte & complete inesse cōfitemur: necesse est, siquidem eū et Deū perfectum, & hominē perfectū cognoscimus. Atq; à diuina quidem paternaq; natura habet, q; nō est creatus, quod est sine tēpore, sine principio. neque enim coepit esse cū prius non esset, verū generatus fuit ex omni æternitate. Hoc etiam ab ea habet, quod deus est, quod vult, quod agit, quod rerum omnium est præpo-



tens, quòd interminatae immensaeque potestatis, quòd effector est & rerum omnium effector, quòd infinitus immensusque est, quòd circumscribi comprehendique nò potest, neque vestigari, quòd immortalis, quòd omnia tenet & continet, quòd est bonus, sapiens, iustus, conseruator, simplex, non concretus & compositus, quòd immutabilis, commutationisque omnis expers, quòd omnia scrutatur, res futuras prouidet, quòd omnia complexu suo continet & comprehendit, quòd communionis omnis expers est, actionis autem, non naturae suae participes alias naturas facit, quòd liber est, quòd beneficia & munera confert, quòd illuminat, quòd sub aspectum & tactum nò cadit, quòd deo est et essentia superior. Ea denique omnia quae habet Pater, sunt Filij, sola gignendi vi excepta. Cuius rei ipse dominus verus testis, Omnia, inquit, quae Pater habet, mea sunt. Et ipsi Patri dixit, Tuas sunt mea omnia. Personae autem eius proprium est, Filium esse, à Patre generatum, nec eum Patrem ingenuum, aut procreatorem. Genitus est enim à patre sine ulla passione, aut copulatione, id est sine permixtione, ut lumen ab igne, aut potius ut lumen perfectum à perfecto lumine. Habet igitur à Patre & statum suum, & quae habet omnia. Itaque ait, Pater meus maior me est. Ego enim ex eo & non post eum, nec ego à me ipso. Patremque hoc modo honore afficit. Quòd si diuinæ Christi naturae proprietates quas à patre accepit, exposuimus, humanæ

etiam eius naturae naturales proprietates quas à nostrae naturae susceptione habuit, exponamus. Si enim cum deus esset perfectus, nostri generis homo perfectus causa nostra factus est, profecto omnes habet naturae diuinæ proprietates: quodque deus perfectus est, omnes quoque humanae naturae proprietates habet, id est omnes naturales vires naturae humanae, & quae ad agendum & quae ad patiendum pertinent, ut homo omnibus suis partibus expleatur. Si quam enim naturalem proprietatem non accepit, non perfectus esset homo, sed aliquid ei deesset. Hoc autem antè positum sit, nos omnis actionis, functionis & perpeffionis vim naturalem ab effectu horum omnium accepisse, atque naturae esse haec omnia. Fieri enim non potest, ut natura quaelibet uel munere fungatur, uel quid agat, uel patiatur, cuius vim à natura nò acceperit. Velut terra nò potest ex se germen edere, nisi naturam ab effectu & parente vim germinandi acceperit: nec aqua pisces edere, aut terrae fecunditas ad editionem perducere, nisi eiusmodi vim largitus esset creator. Nec aut stirpes crescere possunt, aut volucres volare, aut terrena bestia ingredi, aut serpentes repere, nisi crescendi, uolandi, ingrediendi, rependi; vim acceperint. Eodem modo nec cernere homo, nec intelligere, nec sponte ac libere uelle aut agere quid potest, nisi uniuscuiusque vim à natura concessu dei habeat. Itaque homo paruus mundus recte appellari potest. Constat enim ex animo & corpore,



mediūque locum inter mentem & materiem obtinuit. Est enim rerum quæ cōdita sunt, tam earum quæ cernuntur, quàm earum quæ conspectum fugiunt, id est tam earum quæ sensu quàm earum quæ ratione & mente intelliguntur nodus & vinculum. Mens enim oculus est animi, eiusque pars castissima. Quapropter ei cum naturis animi expertibus communis est quatuor elementorum temperatio & concretio: cum stirpibus & arboribus præterquam quòd hæc ipsa, etiam & alendi vis & augetendi, & præterea seminis: cum animantibus ijs quæ ratione carent, non solū superiora omnia, verumetiam vita, & expertis rationis appetitio, ut ira, & cupiditas, item vis in qua imagines rerum imprimuntur, & memoria, sensusque ac motus appetitus. Est autem motus appetitus motus totius corporis, impulsus imaginum, respiratio, & loci mutatio. Ei autem cum naturis corpore uacantibus, & mente præditis ratio communis est, & qui rationem sequitur appetitus, quæ uoluntas dicitur, primusque mentis est motus. Qui enim uult, is intelligentia mouetur ac ducitur: & qui uult, ratiocinatur et cogitat, & indicat. Hæc autem appetitio libera est. Qui enim libere appetit, is & intelligit, & ratiocinatur, & iudicat. Ac corporis quidem sunt sectio, fluxus, & cōmutatio qualitatis, ut frigoris, caloris, humoris & siccitatis, membrorumque compositio. Animi autem solus, qui est rationis particeps, propria est per se uita, in-

telligentia, & appetitio quæ rationi obtemperat, quæ eadē proprie uolūtas uocatur: et præterea animi est id quod uerissime ac maxime proprie animum à natura angelorum seiungit, in corpore habitare, eiq; uitā motūq; largiri, libereq; suo arbitrio, id est uoluntate mouere ac impellere corpus, appetitūq; rationis expertem, ut irā, ut cupiditatē, et eū qui habet impetus suos motū: naturaliq; imperio corpori in quo est ut seruo sibi à natura dato præesse. Itaq; magis ad dei simulacrū homo effectus est, quā angelus. Angelo enim non est à natura seruus datus, nec dominatio, quæ sunt corporis & animi communia: quorum animus corpori imperitur uitam, eamque uim quæ imagines rerum fingit, id est quæ res sensibus subiectas percipit, uel discernit, ipsam etiā sentiendi uim, id est, quinque sensus, ut aspectum, ut auditum, ut odoratum, ut gustatum, ut tactum. Præterea uim memoriae, & liberos appetitus, alendi & crescēdi uim, eumque appetitū qui rationis est expertis, iram dico, & cupiditatem, esuriem, sitim, defatigationē, despumationē, uoluptatem et dolorem, & uoluptatis priuationē, metum, ignauiam, angorem, mœrorem, consternationem, sudorem, & mortē. Est enim mors discessus animi à corpore, deditque ei omnem uictus incrementique moderationem. Hæc autem omnes auerse sunt à ratione perturbationes & actiones, actiones autē et facultates à natura date. Itaque omnia quæ nature sunt munera à natura dei concessu habemus. Perturbationes autem dicuntur, quòd



natura omnis qua creata est, aliquid accipiendo mouetur & agit. Sola autem diuina natura non patitur, nihilque accipiendo mouetur, immotaque operatur. Præterea quædam eorum functiones potius quam perpeffiones videntur esse: quædam autem magis perpeffiones. Rectius enim uitam, actionis: mortem autem & sectionem, & lapfionem perpeffionis nomine appella ueris. Sectio igitur, & fluxus, qualitatisque commutatio, id est dealbatio, in nigroremque ac frigus, et calorem mutatio, morbus, & si qua sunt similia, perpeffiones sunt. Itemque membrorum digestio, & compositio. Natura enim ipsa digerendo & fingendo operatur: corpus autem cum componitur, patitur, & accipit. Naturam autem uoco legē et vim quæ cuique ab initio parentis dei munere concessa est, qua duce mouetur & quiescit. mouetur quidem ad ea gerenda, quorum quisque vim & facultatē habet, ut intelligit, ratiocinatur, uult, sentit, loco mouetur. Horū enim vim ab effectu accepit. Quiescit autē, cū ea munera non exequitur quorū uim nō accepit nisi insistat. Motus autē sunt, ortus, interitus, immutatio, accessio, decessio, et loci mutatio. Huius sex sunt genera, antē, ponē: dextrorsum, sinistrorsum: sursum, deorsum. Atque hæc quidem, & cætera quæ diximus, motus habenda sunt. Intelligentia autem, appetitus cum ratione, cogitatio, qua suo, consideratio, consilium, iudicium, affectio, institutum, sententia, & ad functionē usumque impulsio, actiones

nominantur. Quanquam autem intelligentia potius actio uidetur esse, & appetitus perpeffio (omnis enim patitur qui appetit) tamen appetitum eum qui est cum ratione, actionem dicimus: propterea quod liber est, imperatque auersis à ratione perturbatiōibus, easque diiudicat, gubernat, & quasi freno temperat, ut irā, voluptatem, sensum, & appetitum. Hæc enim omnia in hominibus qui naturam duce sequuntur, rationi obtemperant, subiectaque sunt, eoque inclinant, quocumque ratio præscripserit. Atque hæc etiam perturbationes naturas eas efficiunt, quæ uitæ beneficio utuntur. Neque enim his sublatis uitæ locus ullus relinquitur. Homini autē datæ sunt dei cōcessu ad munera exequēda, cupiditas, ut deo eiusque præceptis pareamus: ira autem, ut diabolo & peccato resistamus, confirmemusque cupiditatem. Ac ea quidem appetitio quæ rationi aduersatur, ad eam naturam absolendam quæ uiuit, est data. Ea autem quæ rationi parer, ac sui est arbitrij, ut liberè quasi freno ducat omnem motum naturalem, eumque effectoris legi subijciat. Ergo adiuncta est homini intelligentia & appetitio, ut ne inuitis nobis, qui ratione uiuimus, ea accidant, quæ rationis expertibus. Mens enim quæ liberè appetit, tū ratione, tum intelligenter, tum cupidè & intelligit res & querit, & cōsiderat, et deliberat, & diiudicat et gubernat, & quod statutū est sequitur, & ad agendū conuertitur. Præsent enim natura quæ ratione uiuunt



tur rationis expertibus. Quòd si homo vt rationis particeps omnis eius natura quæ rationis expertus est, rex est factus, quid est quamobrem non ea perturbationes quæ à ratione auersæ sunt, eius erunt potestatis & voluntatis? Cum ergo & appetitus, & rationis, & mentis sit particeps, tum appetitu ad intelligendum ratiocinandum quæ ducitur, tum rationem, mentem & suam libertatem ducem sequitur in appetendo. Eorum autem quæ animi & corporis cõmunia sunt, vis quidẽ ea quæ uitam suppeditat, magis actiõe cernitur, nemq; ea quæ rerũ imagines fingit, quæ sensu ministrat, memoria, & motus appetitus, partibiles sunt functiones, vel ad fungendum pertinentes perpeffiones. Ira autẽ, & cupiditas, fames, sitis, labor, metus, ignauiã, angor, voluptas, dolor, despumatio, & sudor, alendi vis & crescendi, et quæ omnibus constituta est mors, perpeffiones sunt: quæ omnia hominibus sic à deo data sunt, vt & naturalia sint, & careant reprehensione. Ipse enim & statum, & hunc talem statum dedit: nec quisquam est, qui non his sit præditus. Ac eorum quidem perceptio creatoris tum sapientiam, tum virtutem declarat, nobis autem illa nec laudi, nec vitio ducuntur. Nã & præclara sunt, à probòque artifice beneficii virtutis quæ causa concessa, & vsus eorum virtutem vitium quæ gignit. Etenim si dei legi voluntas nostra pareat, & ex eius legibus mens, ea quæ rationi obediunt, gubernet, nos certè & virtutem adipisce-

mur, & iustitiã munus explebimus. Eò enim eorum potestatem accepimus, qua accepta tum legem accepimus, tum legi fuimus obnoxij. Ea enim animantia quæ sunt expertia rationis, quoniam mentem ducem non habent, quæ ira & cupiditati imperet, legem minimè acceperunt. Quoniam igitur à natura & dei serui sumus, & liberum arbitrium habemus, quod virtutis efficiens est (neque enim uirtus est, neque iucunditatem uitæ affert) legem accepimus, vt dominum nos habere intelligamus, ne in tenebris ambulantes, in fossam incidamus. Lucerna enim, vt ait Dauid, pedibus meis lex tua, & lumen semitis meis, vt non minus boni quod datũ est, quàm dei qui dedit semina, fiamus participes. Ipse enim et recte factorum nobis potestatem dedit, & nostræ potestatis nos procreauit, vt tu ab ipso, tum à nobis præclare actiones oriantur. Omnes enim qui ea quæ bona sunt volũt & sequuntur, in ijs efficiendis deus adiuuat, vt cum ea quæ à natura data sunt nobis, integra seruauerimus, ea quæ naturam superant consequamur tum immortalitatem, tum ex dei coniunctione, diuinitatem: ne si ijs natura præsidys quæ accepimus, contrã quàm ratio præscribit utamur, cum ijs naturis quæ rationis & mentis expertes sunt, conferamur, ad earum quæ accedamus similitudinem. Si enim voluntati diuine nostra minus obtemperet, sed ex sua libidine libera mens, ira, & cupiditas gerat omnia, erit in vitio. Vitium enim



aliud est nihil, nisi peccatum, aspernatio, & auersio à lege domini. Itaque primum bonum quod liberi arbitrij est, naturam eam decet quæ ratione utitur: & libero arbitrio uti: perturbationibusque ijs quæ rationem aspernâtur, iram dico & cupiditatem, imperare uirtus est. Liberum autem arbitrium prodere, perturbationibusq; à ratione auersis succubere, & sine ratione ritu beluarum uiuere, hoc uitium est, hoc peccatum, ut ne dedecore & turpitudine afficiamur, si ea quæ beluarum sunt commutamus: sed naturæ appetitus rationi obediens faciamus. Neque enim ea uiuendi ratio, quam beluæ sequuntur, eum decet qui est rationis particeps: sed ijs potius perturbationibus quæ beluas attingunt, conuenienter rationi uti debet, easque ratione moderari, & in ditionem redigere, ducere, & quasi freno cohibere, diuinæque legi subijcere, ijsque ita uti, ut dominus imperauit. Intelligendum est autem, ex verborum confusione & ambiguitate hæreticorū errorem extitisse. Vt enim, exempli causa, hæretici ij qui Monophysitæ appellati sunt, nec principium ullum probabant, ex eo vnâ tantum naturam in Christo ponebant, quod idem naturâ & personam esse dicerent, ne in duas personas Christum diuiderent: Itemque Nestoriani, quod duas personas dicerent, ne duas naturas in vnâ confunderent: sic ij qui Monotheletæ dicti sunt, quod ignorarēt, quid inter naturæ & personæ uoluntatem, id est sententiam interes-

set, factum est ut vnâ solum in Christo poneret uoluntatem. Vt igitur eum errorem, quem ambiguitas parit, uitemus, hoc dicendi de uoluntate ducemus exordium. Uoluntatis ambiguum est uerbum: Interdum enim vim eam qua uolumus, significat: interdum id quod uolumus, quodque ei vi qua uolumus subiectū est, id est rem ipsam, quam uult quisquam. Vt autem aliud est aspectus, aliud id quod sub aspectum cadit, quod aspectus est ipsa vis qua cernimus, quæ in oculo suo munere fungitur: id autē quod sub aspectū cadit, est ipsa res que uidetur, ut lapis, ut lignum, & quæ sunt generis eiusdem: Sic uoluntas est ipsa vis animi qua uolumus; id autem quod sub uoluntate cadit est ipsa res, quam quisque uult. ut cū dico me uelle nauigare, ipsa nauigatio cadit sub uoluntatem. Omnino autem quod uoluntati subiectum est, aut actione, aut perpeffione cernitur. Nunc quia uoluntas est natura, aut persona, utrum omnes homines vim eā qua uolumus habeant, necne, uideamus. Ac illud quidem dubium non est, quin omnis homo uoluntate sit praeditus. Quis enim unquam homo extitit, qui nihil uellet? Non omnis autem homo uult eodem modo, sed alius bene, alius improbe, suo quisque arbitratu. Itaque uoluntas quidem, id est vis qua uolumus, et uelle omnino, naturæ est: id autē quod sub uoluntate subiectū est, id est id quod uolumus, arbitrij est atq; rerū singularū. Rursus ambiguerū ut diximus, uoluntas



interdum vim qua uolumus declarat, interdum id quod sub voluntatem cadit. Sciendum est enim aliud esse voluntatem, aliud id quod voluntati propositum est, in quo versatur: aliudque uelle omnino, aliud uelle aliquid & aliquo modo: & aliud id quod uelle potest, aliud id quod uult: quemadmodum aliud est aspectus, aliud id quod sub aspectum cadit: aliudque uidere omnino, et aliquid, aut aliquo modo uidere: & aliud quod uideri, aliud quod uidere potest, aliud id quod uidet. Aspectus enim est ipsa uis animi qua uidemus, qua in oculo suum munus exequitur. Videre autem est ut ipsa uidentis ui, agere & aspicere. Nemo enim cernit, qui non aspectum, id est cernendi habeat facultatem. Aliquid autem cernere est, uel calum, uel terram, uel aliquid aliud uidere. Quodammodo uidere, est integre aut corrupte cernere. Id autem cadit sub aspectum, quod propositum est aspectui, & quod cernitur, id est corpus, aut color, aut figura, qua uidetur: uidere autem id potest, quod a natura uidendi vim habet, etiam si dormiat, aut caecum sit. Homo enim animal est quod potest cernere. Is uero uidet, qui aspectum, id est uidendi ui utitur, & agendo & aspiciendo. Eodem modo uoluntas est ipsa uis qua uolumus, quam a natura animo eius effector dedit, id est uolendi facultas. Uelle autem est ui ea qua uolumus uti: uult autem nemo qui uoluntatem, id est uolendi vim non habeat. Id autem cadit sub uoluntatem, quod uoluntati subiectum est, id est res

quam uolumus. Ut si dicam uelle me nauigare, ipsa nauigatio id est quod sub uoluntatem cadit. Et si dicam me uelle temperantem esse, ipsa temperantia est que cadit sub uoluntatem. Id autem non cadit sub uoluntatem, quod nemo uult, quemadmodum id non cadit sub aspectum, quod aliquis non uidet. Aliquid uelle est, uelle coniungi deo, uelle comedere, uelle facere, uelle nauigare, uelle cum uxore concubere. Quodammodo autem uelle est, ut uelle bene & ex lege dei, cum uxore non concumbere: aut male, ut uelle contra legem dei cum aliena concumbere. Id autem uelle potest, quod vim qua uult habet a natura, ut homo, ut angelus, ut deus. Vnusquisque enim eorum vim qua uult a natura accepit. Vnaqueque enim angelorum hypostasis uult: quod autem unaqueque habet hypostasis, id est naturale. Est enim naturale id quod in omnibus singularibus rebus que sunt eiusdem speciei & natura, perspicitur. Id autem uelle dicitur, quod utitur uoluntate, id est ui qua uolumus, qualis est hypostasis, id est unaqueque rerum singularum. Uoluntas ergo interdum ipsam vim qua uolumus significat: interdum id quod sub uoluntatem cadit, id est ipsam rem quam uolumus. Itaque uoluntas ad naturam pertinet, & uelle simpliciter. Omnis enim homo facultate ea qua uult est praeditus, uultque omnis homo, id est uoluntate utitur, quoniam homo est animal, quod aptum animum habet ut uelit. Id autem quod sub uolunta-





tem cadit non tam naturæ, quàm arbitrij atque hypostasis est. neque enim omnes homines idem, neque eodem modo volunt. Ex quo fit, ut quodammodo velle, ut bene aut malè: aut aliquid, ut hoc vel illud velle, non sit naturæ, sed arbitrij atq; hypostasis in angelis & hominibus. Nam in sancta & indiuisa trinitate una triū personarum naturalis est voluntas, & vnum naturale bonum, nec suam quæque persona rem habet quam velit, nec propriam appetitionem: sed trium personarum vna est appetitio, & sub earum uoluntatem vna eademque res cadit. Itaque non tres dii sunt, sed vnus deus, tres personæ, vnus deus cum ijs quæ in eo sunt facultatibus, non vnus concretus. Vnaquæque enim earum perfectus est deus, perfectaque persona. Naturarum autem institutio nulla ex persona existit, idque omnino inauditū est, deoque solo dignum. At in angelis & hominibus, non item. Vt enim vna sit angelorum voluntas, ea quæ illis primo ortu à deo data est vis qua volunt (nam & vnusquisque angelus vult, & vnusquisque homo) tamen non vnus est omnium angelorum motus, nec vnus hominum omnium, sed suis cuiusque hypostasis motus est, sua cuiq; res proposita quam velit. Non enim eodem modo, neque idem volunt singuli angeli & homines, sed hic bene, ille malè, & alius aliud: & cum vnus mouetur atque vult, non simul alter vult & mouetur. Ita in angelis & hominibus naturæ uoluntas attribuitur. Quod idem de

volendo iudicandum est. Omnes enim homines & aptum animum habent ut velint, & omnes volunt. Sed tamen non omnes homines idem possunt uelle, nec idem omnes volunt. In sancta enim trinitate tres personæ aliæ insunt in alijs, suntque Verbu ac Spiritus Patris potestates atque virtutes, ob eamque causam vnus est trium voluntatis motus. itemque eadem res eis proposita est quam uelint. Angeli autem atque homines suam quisque diuisam & distinctam hypostasin habet, etsi eiusdem naturæ sunt; obeamque causam vis qua volunt, & velle in eis est illud quidem vnum atque naturale, velle autem quid, aut quodammodo arbitrij atque hypostaseos. Et eorum quidem vna est vis naturalis qua velle possunt, multi autem sunt, qui uolunt. Quæ uoluntas est appetitio cum sensu atque ratione. Ac ea quidem animata quæ ratione carent, cum sensu, non cum ratione, neque libere appetunt. Homo autem qui rationis est particeps, quia ex parte animal est, cum sensu appetit: quia rationis particeps, rationem ducem in appetendo sequitur, liberòque habet appetitus. Est igitur uoluntas, naturalis quedam appetitio rationi sensuique cōsentanea, quæ solum naturalibus accommodatur. Naturæ autem uoluntates sunt primum, ut dei legibus pareamus. Naturæ enim homo dei seruus est, ei que subiectus. deinde ea quæ personis rebusq; singulis natura præscripsit, ut fames, ut sitis, ut somnus, quæque sunt eiusdem generis, sunt



voluntates rerum singularum, atque arbitrij. Appetitio enim voluptati & libidini siue arbitrio congruens, eius est rei quæ eam adhibet, non autem legi diuinæ est consentanea. Ratio quæ vitendi ea voluntate quæ à natura proficiscitur, arbitratu eius fit hypostasis quæ vititur. Ita quod etiam ab altera hypostasi separat, diuersam hypostasis sententiam arbitriumque efficit. Quamquam sunt qui hominem naturali voluntate præditum negent. Aiunt enim duas solum esse voluntates: vnā bonam quæ diuina sit: alteram malam, quæ à diabolo proficiscatur. cum quæ homo id vult quod bonum est, tum eum dei habere voluntatem: cum autem malū, eam quam diabolus efficiat. Sed non intelligunt fieri non posse, vt quæ eius natura agat aliquid, cuius vim à natura non perceperit. velut volare non potest auis, nisi à primo ortu volandi facultate sit prædita: nec eodem modo terrene bestia ingredi possunt, nisi vim gradiendi à natura acceperint. Sic nec homo inelligere potest, nisi à natura intelligendi vi & facultate sit præditus: nec loqui, nisi loquendi vim à natura habuerit. Quapropter primum insit à natura oportet vis qua volumus, id est voluntas: deinde ita denique velle sequitur. Itaque in domino nostro Iesu Christo, quoniam due sunt nature, due quoque sunt nature voluntates: vt sit tum perfectus deus, tum homo perfectus: nec ei vlla diuinitatis, vllaque humanitatis proprietates desit. Due autem sunt eius voluntates, eaque aliæ atque aliæ

pro naturarū differentia. Diuina enim omnia cōplectitur (voluntas enim diuina rerum omnium est præpotens) humana autem non omnia potest, sed imbecilla est, & ad patiendum accommodata. Est enim infirma et ad patiendū idonea humana in deo voluntas. Aliudque & aliud à natura subiectum est vtrique voluntati. Neque enim quæ sub humanam voluntatem cadunt, ea diuina sunt voluntatis. Nam cum à primo ortu natura humana & esculentorū, & poculëtorum, & somni, ceterorumque eiusdem generis cupiditate ducatur, hæc tamen diuina natura non desyderat. Neque enim hæc appetit, etiamsi naturam humanā hæc velit naturaliter desyderare, & quemadmodum, & quando præscribit. Nec vero contrariæ sunt inter se due illæ quæ in domino nostro Iesu Christo insunt pro naturarum distinctione voluntates. Neque enim diuina voluntati contraria est hominis nature congruens voluntas: neque ea quæ illi subiecta sunt à natura: neque is voluntatis vsus, quem natura præscribit. præsertim cum eorum omnium quæ naturam ducem sequuntur, diuina voluntas sit effectrix. Sed ea demum diuina voluntati repugnant, quæ sunt cōtra naturā, qualis est iudicio et arbitrio proprio, peccati quæ voluptati appetitus cōsentaneus, id est peccatum, quod minime Christus assumpsit. Peccatū enim nō fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Quoniam autem una est Christi persona, vnusque Christus, fit vt vnus sit qui vtraque



40  
 natura velit, ita tamen, ut qua ex parte Deus est, imperet & censeat: qua autem homo, pareat et obediat. imperet quidem ut deus, paterna diuinaque voluntate una cum Patre & Spiritu: ut autem homo, nostra voluntate diuine suae, ac paternae uoluntati morem gerat. Neque enim patri obedit diuina sua uoluntate: quippe cum diuina uoluntas nec pareat, nec imperium recusat, quandoquidem haec sunt, ut ait Gregorius Theologus, eorum qui in ditione alterius sunt, et serui formae quam ex nobis Christus assumpsit. Factus est autem obediens naturaliter humana sua uoluntate, quoniam obedientia libera, & necessitatis expers uoluntatis subiectio in aliena est uoluntate. Voluit igitur et uult res diuinas, ut deus: humanas autem & uoluit & uult ut homo, non sententiae repugnantia, sed naturarum proprietate. Voluit enim ac uult res eas quae naturam humanam attingunt, ubi uisum est, & quando ipsius diuinae uoluntati, quod sponte humana illius uoluntas diuinae eius pareat. Dei enim uoluntas & actio est, ut placet beato Ireneo, omnis & loci, & temporis, & seculi, omnisque; naturae effectrix & providentia. Humana autem uoluntas uis est naturalis, qua ea continentur quae naturam attingunt. Omnis enim natura tum statum suum, tum uitam, tum motum & sensum & mentis expetit, statumque suum naturalem, eumque perfectum & absolutum desiderat. Vult enim saluam se esse natura, eaque omnia quae se

efficiunt, propter statum suum, a quo tum praesens appetitus, tum eius origo pender. Itaque alij hoc naturale definiunt, appetitum cum ratione & sensu eorum quae ad naturam solum pertinent. Voluntas autem B. Clemenis sententia, est eius quod proprie est, appetitio. Rursus uoluntas appetitio est eius quod ratione utitur naturae consentanea. Itemque; mentis imperatricis liber motus. Deus enim hominem initio cum finisset, eiusmodi fecit, qui ut B. Athanasio placet, et natura peccare non posset, et sua esset uoluntatis atque potestatis. Ac res quidem omnis quae ortum habuit tam ea quae rationis est particeps, quam ea quae expers est, quaeque sensum habet, & non habet, & quae non uiuit, natura peccare non potest. Non omnis autem libera uoluntate est praedita. Cumque natura diuina & peccare non possit, & sit libera uoluntas, non tamen mutabilis est, sed omnino immutabilis. Quod si natura diuina eiusmodi uoluntate est praedita, ut nec peccatum, nec mutatio in eam cadere possit, cum interim sit libera: omne autem quod creatum est, sic a deo generatum est, ut peccare nequeat, (quae enim fecit, ualde bona erant omnia) ita tamen factum est, ut in id caderet mutatio. Quorum enim oriens a mutatione initium coepit, ea natura sunt mutabilia. Mutatio autem est ex nihilo in lucem editio. Si igitur Christus hominis uoluntatem non accepit, qua tandem uoluntate Patris praecipis paruit? Si humanam uoluntatem non sumpsit, qua uoluntate legi subiectus fuit? Si humanam uolunta-

Accipitur hoc loco natura p[er]nuda & simplici rei, ut ita dicam, existetia, non p[er] ea quae res sunt certe speciei.



tem non assumpsit, qua voluntate omnem iustitiā impleuit: se enim perfecta virtute atque iustitia prædium fuisse Ioanni dixit, Sine modo: Sic enim decet nos omnem iustitiam implere. Vt enim omnibus iustitiæ & virtutis numeris absolutus esset, non tamen in iustitiæ virtutibusque officijs progressum fecit, sed perfectum eū atque absolutum summa reddidit coniunctio. Neque enim cum non esset, ortus est deus: sed cum deus perfectus esset, perfectus homo factus est. Etenim si voluntatem humanam non assumpsisset, profectò nunquam primum illum morbū qui in nobis erat, curatione adhibita depulisset. Vt enim ait Gregorius Theologus, Quod nō est assumptū, id curatum non est. Quid enim præter voluntatem peccauerat? Quod ergo offenderat, quod peccauerat, id maiore egebat curatione. Quòd si neges id ab eo assumptū esse, quod peccauerat, fateare necesse est ab eo naturā quæ peccauerat, et ægotabat, non fuisse susceptā. Quam si ipse sibi non coniunxit, ne naturā quidē humanam sibi assumpsit: præsertim cū ipsa peccatū cōmiserit. Quòd si humanā voluntatē sibi nō coniunxit, quo tandē pacto ante q̄ statuerat aliquid esse bonum aut malum, id quod malum est declinabat, vt quod bonum erat deligeret? Neque enim diuina uoluntas dissuadet, aut suadet, aut eligit. Improbatur mala, & bona sequitur, dum paternæ uoluntati ut homo liberè obtemperat. delectus enim libera est uoluntatis: sed nō more nostro consultabat aut iudicabat,

nec duorum contrariorum, virtutis dico & vitij, rationem ducebat, aut eorum notitiam habebat, sed solius boni, in quo est decretum diuinae uoluntatis. Ita quod Adamus debebat, ipse dissoluit. Quod autem dicitur, prius quàm sciret bonum aut malū, non cognouit ipse, nec cognauit malum ex coniunctione quam hypostasis procreauit: nec ratio eius in utranque partē propendebat aut distrahebatur: sed cum ipse vnus Christus hoc & illud esset, id est deus & homo, ijs quæ ad humanitatem suam pertinebant, id est ijs omnibus quæ naturam humanam attingunt ad parendum præceptis paternis suisque diuinis uiebat. Quòd si angelorum præsidij & adiutoriū accepit, quemadmodum scriptum est, Et ecce angelus cum confortabat: ea est lex naturæ humanæ data. Aut enim Dauid, Angelis suis mandauit de te, & in manibus portabunt te. Nec si desertus est, idcirco uoluntatē non accepit. id enim ait, Eli Eli, Lamafabachthani, id est, Deus meus, deus meus, quid me dereliquisti? Deus & Pater unigenitū Filium suū cū homo factus esset, causa nostra morti dedit. neque enim corpus eius relictum est aut separatiū ab eius diuinitate, neque corruptum est. Nec eius animus desertus est in Inferis. Nec Deus & Pater Filium suū deseruit. sed eum pro nobis contumelias, ignominiam, supplicia, mortē denique perferre uoluit, cum nec in crimine vllō nec peccato teneretur. Itaque dum paternæ uoluntati etiam usque ad mortē paruit, igno-



miniam que contempsit, vera gloria & honore sempiterno naturam nostram affecit atque coronauit. Si ij qui naturam vnam in Christo concretam & compositam concedunt: duas negant, et naturarum distinctionem approbant, quo tandem modo cum duas naturas in Christo ponant, vnam tamen dicunt in eo messe voluntatem? Sed aiunt non ad naturam, sed ad personam voluntatem pertinere. Quo ergo in genere voluntatis ponetis vim qua uolumus? in quo actione qua simpliciter et omnino uolumus? in quo id quod sub voluntate naturaliter cadit, et usum ipsum uoluntatis, id est uelle? in quo deniq; id quod sub cuiusq; uoluntate pro animi libidine cadit? Na si uim uolendi et oino uelle ad personam accommodatis, non uere dicitis. Cu enim omnes homines ui uolendi preediti sint, et omnino uelint: que autem in omnibus personis et rebus singulis que eidem speciei subiecta sunt, perspicuntur, nature sint, non persone propria: nec omnes homines ide uelint nec eodem modo: efficitur ut uis uolendi & absoluta uoluntas ad naturam pertineat, uelle autem certum quid, aut certo quodam modo sit uniuscuiusque rerum singularum differentia, & ut ita dicam hypostaticum accidens. Testis est sanctus Ioannes & uere Chrysostomus, qui in primo libro commentariorum in epistolam ad Hebræos oratione XIII scribit his uerbis, Voluntas enim insita est nobis & innata, & a deo est. Huius autem vel illius rei uoluntas nostra est, & nostri iudicij.

Præterea quonia uis uolendi, que persone attribuitur ab alio proficiscitur, filius patris erit etiam diuersa uoluntatis: ea autem que naturam attingunt, ab alio non traduntur. Nemo enim discit esurire, nemo sum perpeti, nemo dormire, aut respirare. Ita ne uelle quide quisquam docetur: quoda autem certo modo siue bene, siue male uelle, & uelle aliquid docetur. Itaque uelle dei lex docet, quandoquidem id nobis naturaliter ab eo datum est, sed ut bene et aliquid uelimus. Ex quo fit, ut uelle omnino ad naturam, uelle autem, & aliquid, et quodam modo, ad personam pertineat, atque distinguat, præterquam in sancta Trinitate. Illic enim cur eodem modo, idemque uelint tres sancte ille diuinitatis persone, natura diuina causa est. Unus enim sancte Trinitatis, qui carnem sibi coniunxit Filius, qui idem & Verbum Dei, & Deus est, quemadmodum hominis naturam accepit Pater autem & Spiritus sanctus non acceperunt, ex eoque a Patre, et Spiritu est distinctus: quod homo factus est, sic proprietatibus ijs que naturam attingunt humanam, discretus est a patre & Spiritu, quod duas naturas habeat, duasque naturales proprietates. Id autem essentialiter naturamque in eo attingit, quod cum adest, seruat: cum abest, nature definitionem dissipat. Est ne igitur homo expers voluntatis? certe non. Nemo enim homo unquam sine uoluntate extitit. An uero ad naturam uoluntas referenda est? Si fames, si sitis, si somni cupiditas que a ratione desciscunt, in naturalibus sunt, an



non appetitio quæ rationi paret, et libera est, ad naturam pertinebit? Iam cum ad dei imaginem et simulacrum effecti sumus ea ex parte quæ intelligentia et libertate continetur, si voluntatem liberam Christus non accepit, profecto ad dei simulacrum non fuit effectus. Dicam autem nec ita multo post, pauca de simulacro dei quod ipse in efficiendis nobis imitatus est. Si igitur humanam uoluntatem Christus non accepit, quæ ipse uoluit, omnia diuina uoluntate uoluerit, necesse est. Ita cum in domum quampiam clam ingredi uoluit, non potuit. Non igitur diuina uoluntas rerum omnium est prepotens, sed infirma est et imbecilla. Has ineptias homo, et nugæ pellito. Non est diuine uoluntatis cibi aut potionis cupiditate duci, aut ex loco in locum redire, aut alia eiusdem generis exequi, sed humana. Itaque humana uoluntate Patris preceptis parens hæc uoluit omnia. Sed ita occurrunt nobis hoc loco, ut dicant, non à natura libertatem homini datam esse, sed honoris causa, propterea quod Gregorius Theologus ita dicit, Liberum arbitrium ei honoris causa tribuit. Sed attende quid rursus idem pater dicat, Hunc rationis et simulacri diuini honore ornauit. Non igitur eam partem animi in qua ratio sita est, à natura, sed honoris causa accepit. Sed tempus est, ut Dominum non modo animum rationis participem, uerum etiam rationem sibi coniunxisse demonstrarem, et quot modis ad imaginem dei homo factus sit. In ea quidem animi parte quæ ratione,

et in ea quæ intelligentia, et quæ libero arbitrio continetur, hæc imago intelligitur: et in eo quod mens uerbum gignit, et spiritum profert: et in eo quod principatum obinet. Ex his quidem et angeli et homines ad imaginem facti esse intelliguntur. Homines autem præterea ex essentia intelliguntur ad imaginem dei effecti, ut ex eo quod Adam non est genitus, et Abel generatus est, et Eua processit. Præterea ex eo quod natura tenet principatum. Natura enim corpori animus imperat. Ex eo etiam quod in hominem quasi in angustum locum quæ creata sunt, concluduntur omnia. Ut enim in deo omnia comprehenduntur et colligantur communi quodam vinculo, sic in homine. Est enim et eorum quæ intelligentia, et eorum quæ sensu continentur, nodus et uinculum. Itemque ex eo quod ad eam imaginem et simulacrum factus est, ad quod gignendus erat dei Filius. Non enim factus est angelus, sed homo. Omnis autem res quæ ex duabus naturis dissimilibus concretæ est, naturales duarum illarum naturarum proprietates complectatur necesse est, etiamsi in coniunctione earum perspicitur permixtio. Nam ignis et aqua cum inter se contraria sint (ignis enim calidus et siccus est, aqua frigida et humida) tamen cum ex quatuor elementis corpus concretum est, quatuor prædictum est qualitibus, calore, frigore, humore, et sic ita. Quod si in his quæ permiscuntur necesse est inesse naturales proprietates eorum ex quibus constant, quanto magis in ea con-



inunctione, quæ omnis permixtionis experta est? Sed respondent, homini à natura non esse datam uoluntatem: dicuntque id quod Manichæi, duas tantum esse uoluntates: unam quæ à deo profecta est, boni: alteram mali, quam malus genius iniecit: & cum id uult homo quod bonum est, dei: cum id quod malum, diaboli in eo inesse uoluntatem. O singularem amentiam, o ignorantis tenebras. Diuinam uoluntatem quæ omnia facit, utrum homo habet, necne? certe habet, inquit. Si homo diuinam habet boni uoluntatem, profecto eorum ratione & sententia homo auctor erit rerum omnium. Non intelligunt autem nullam omnino naturam aliquid exequi posse, cuius facultatem à natura non perceperit. Ut aues nunquam possent uolare, nec terrene bestie ingredi, nisi natura illis uolandi, his gradiendi uim dedisset. Similis est ratio hominis. neque enim unquam uelle aut agere quid posset, nisi à natura ei concessa esset uolendi & agendi facultas. Non enim exempli gratia, intelligere, aut uidere, aut etiam quid agere posset, nisi intelligendi, & uideendi, & agendi facultatem à natura accepisset. Itaque in omni natura naturales actiones & insunt, & una insunt: ea autem quæ cadunt sub uoluntatem aut actionem, non insunt. Et naturalis uoluntas, id est vis ea qua uolumus, una est: ea autem quæ uolumus multa & varia sunt. Ait enim scriptura, Omnes uoluntates eius sunt in ipsis, non ait, Diuina uoluntas in eis, sed omnes uoluntates eius in ipsis, id est

ea quæ cadunt sub eius uoluntatem. Intelligendum est, diuinitatis uoluntates ad naturam pertinere, propterea quod immutabilis est, nec aliter atque aliter suam naturam uelle potest, sed semper eodem modo: Itaque eadem cadunt sub Patris, Filij, & Spiritus sancti uoluntatem. Quæ enim ad naturam referuntur, Patris, Filij, & sancti Spiritus, quod eadem eorum natura sit, eadem sunt omnia. Nihil autem personarum est proprium in illa summa diuinitate, nisi Patris, à nullo ortum & originem habere, & generare: Filij, generatum esse: et processisse, sancti Spiritus. Quod autem diximus de uoluntate, idem de ui agendi dicimus, actionis uerbum significare diuersa. Actionis enim dei proprium est non solum omnem sensum, mentem, & secula omnia: sed omnem etiam causam, atque rem quæ nomine aliquo appellari potest, infinitis partibus superare, & ultra progredi. Est enim actio naturalis uniuscuiusque nature uis & motus. Rursus actio est vis naturalis & uniuscuiusque: essentie interpres. Item actio uis est animi intelligens, naturalis et prima, id est quæ motu perpetuo agitatur, id est, eius ratio quæ sempiterno motu cietur, naturaliterque ex eo semper quasi ex fonte manat. Dicitur etiam actiones operationes, ut uidere, ut loqui, ut respirare, deambulare, comedere, bibere, id est omnis naturalis facultatis functiones et munera. Pleraque etiam eorum quæ natura patimur, actionum appellantur nomine, ut fames, sitis, quæ quæ sunt eius generis.



Atque ut rem in pauca conferam, actio est naturalis cuiusque naturæ vis & motio, qua separata res in nihilum recidit. Quid est ergo quamobrem Christus naturæ humanæ actionē non habeat? cū præsertim sublata naturali cuiusq; actione, naturæ interitus consequatur. Si ergo non fuit in eo naturæ humanæ naturalis actio, ne natura quidem humana in eo fuit. Quorum enim naturæ diuersæ sunt, eorum etiam tam voluntates quam actiones differunt. Aliud autem est agere, aliud agere quid, aut quodā modo: ut aliud est id quod agitur, id est actio, aliud id quod agere potest, & aliud id quod agit. Atque actio quidem est ipsa vis agendi, id est vi agendi valere. Aliquid autem agere est, ut cernere, intelligere, audire, deambulare, comedere, potare. Quodam modo agere, est benè aut malè. Id autè agere potest, quod vi agendi est præditum, ut angelus & homo. Id autem agit, quod vi agendi viitur, cuiusmodi sunt res singulæ. Quòd si actio aliàs vim agēdi nostram significat, aliàs agere, interdum ipsam, ut ita dicam, operationem, certe actio, id est ipsa vis agēdi, & agere ad naturā pertinent. Omnes enim homines agendi vi præditi sum & agunt, propterea quòd homo est animal natum ad agendum. At ipsa operatio non solum naturæ est, sed etiam rerū singularū, id est personarum dumtaxat in hominibus & angelis. Nā in sancta Trinitate naturæ sunt omnia, & quæ sub uoluntatem cadunt, & quæ sub vim agendi, ob eamque cau-

sam eadem sunt trium personarum. Angelorū autem & hominū non est idem subiectū uoluntati, nec actioni: nec in eis idem est his facultatibus utendi modus. Est enim in quoque angelo & homine suus motus et appetitus, alioque ac alio modo & uolunt & agunt singuli. Quapropter in domino nostro Iesu Christo, quoniam duæ sunt naturæ, duæ etiam actiões sunt quæ naturam attingunt, ut sit & deus perfectus & homo perfectus: itemque duæ sunt uolūitates, quibus alio atque alio modo uult pro naturali duarum naturarum distinctione, ut dei more & hominū more: sed ita ut qua ex parte natura est diuina, modo quodā omnia cohibente, & ab omni perpeffione libero: qua autè humana natura est, imbecillo quodā, & perpeffioni admixto uelit omnia. Et alia quidem atque alia in eo naturalis actio est. Alia est enim naturæ diuine, alia humanæ actio: ut alia natura diuina, alia humana agere in eo potest. Nam nec ea agere potest natura diuina quæ humanæ sunt: nec natura humana ea quæ sunt diuine propria. Ut exempli causa, non res creat & mouetur natura humana, nec diuina comedit, aut loco mouetur. Et si autè natura diuina per humanā naturā hæc agit: tamen vnus est qui hæc & illa agit omnia, quòd ex his duabus naturis vna persona constet. Si enim humanam actionē nō accepit, nec uixit ut homo, nec intellexit, nec cogitauit, nec comedit, nec bibit, nec cibum gustauit, nec ambulauit, nec uidit, nec audiuit, nec re-



Spirauit, nec ullū eorū munerū executus est, quæ natu-  
rā attingunt humanam. Ex quibus efficitur, eum homi-  
nem non fuisse. Ait enim B. Gregorius Nissenus, **H**is  
ita digestis & subtiliter disputatis, videamus nū san-  
cta euangelia, Apostoli, sanctique patres Christum  
hec habuisse omnia confirmant. Ac animum quidem  
humanum in se fuisse, ipse in Ioannis euangelio asserit  
his verbis, Possum ego animā meā ponere, & iterum  
eam accipere possum. Et rursus, Et animam meam po-  
no pro ouibus meis. Eū corpus habuisse Ioseph testa-  
tur, qui corpus eius & petiuit & curauit, et sepeliuit.  
Membrorū etiā cōpositionem in eo fuisse, testis est illa  
meretrix quæ et caput eius unguento perfudit, et pedes  
lachrymis lauit: testes sunt et clauī, quibus manus ac pe-  
des perforati sunt: testis lācea, quæ ei⁹ latus aperuit: tes-  
tis discipulus qui supra pectus eius recubuit: testis lin-  
gua quæ dixit, Si quis siuit, accedat ad me et bibat: tes-  
tatur os, quod Spiritū sanctū impertiuit: testes dētes,  
qui pascha cōmmerūt: guttur, quo in stomachū pascha  
illapsum est: iecur, quod pascha in sanguinē uertit: testis  
præterea fatigatio, quā ex itinere suscepit, cū artū cō-  
missuræ dissolutæ distractæque essent, ut placet diuo  
Basilio: testis est etiam præputij amputatio: testes clu-  
nes, qui in asino sederūt: & flagra quibus eius terqus  
casum est: testes denique colaphi, & os consputatum.  
Eum autem recepisse diuisionem & fluxum, te-  
stes sunt clauī, lancea, sputum, sudor, sanguis & aqua

quæ ex eius latere manarūt. Participē autem eū fuisse  
animi & actionum & motionū argumento sunt san-  
ctissimi illius animi eæ quas per incorruptum corpus  
exequebatur, actiones & munera. Vidit enim ciuita-  
tem Hierusalem & fleuit. Vnguenti odor sensu perce-  
ptus: testis est et uox quæ Lazarū ab inferis excitauit,  
gustatus fellis & aceti, quorū ingratum saporem na-  
tura duce repudiavit. non enim sunt hæc natura di-  
uina actiones. testis est etiam lepræ tactus, & in-  
gressus, manuumque in cruce dilatatio. Quod si natu-  
ralem facultatem vimque spectemus, idem testabitur  
corporis tum nutritio, tum incrementa. Beatus enim  
uenter qui te portauit, & uera quæ suxisti. Et puer  
crescebat aetate, ut ait scriptura. Ex vi sentiendi ani-  
matus fuisse intelligitur. Est autem natura quæ ratio-  
nis est expers, sensus, motus, qui suos habet impetus, fa-  
mes, sitis. Scripsum est enim, Postea esuriuit, Et in cru-  
ce dixit, Sitio. Cibi etiam cupiditas. Ait enim, Desyde-  
rio desyderauī hoc pascha manducare uobiscum. &  
ira: Turbatus est, inquit spiritu, & protestatus est, &  
dixit, Vnus ex uobis me tradet. Hoc etiam concoctio  
cibi et potus indicat, eorumque in sanguinem mutatio.  
Vnde enim sudor, vnde sputum, salutarisque cruor et  
aqua, nisi ex cibi confectione? Hæc enim omnia sen-  
sit, eis que sic usus est, non ut perturbationibus pareret,  
sed ducem naturam in eis sequeretur. Capiebat etiam  
cibum non ut voluptati à ratione auersæ seruiret, sed



ut vires reficeret. Et si enim sanctissimum eius corpus nullum interitū sensit, tamen diuisionem fluxumq; naturaliter pertulit. Interitus enim corporis est, cū in ea vnde cōstat, occidit. In primis autē in eo fuit ipsa uita, quæ est prima animantis actio: & motus, quē corpori animus impertit. Vim autē gignēdi nō habuit, propterea q̄ stabiles sunt & immutabiles diuinarū personarū proprietates: fieriq; nō potest, ut Pater aut Spiritus efficiatur Filius. Itaque hominis Filius factus nō est, sed solius dei, ut immutabilis proprietas permaneat. Præterea persona cum persona eiusdem naturæ permisceri solet, non alia autem est iam persona eiusmodi Filius dei & hominis Filius, nisi Deus et homo Iesus Christus, dei Filius. Iam uero ut sit hæc permixtio naturæ consentanea ad hominum genus explēdum, at necessaria non est, præsertim cum fieri possit, ut homo & sit & uiuat sine ulla contrectatione: multiq; exiterunt homines, qui nunquam huic uoluptati operam dederunt. Corporis enim nulla est propria actio præter fluxum & diuisionem, quæ perpeſsiones sunt, non actiones. Cætera omnia cū animus corpore utitur perſpicuē sunt actiones. Perturbatio autem nō est diuinitatis: Nunc, inquit, anima mea turbata est. nec tristitia et anxietas: Cœpit enim contristari & angī. Tristis est anima mea usq; ad mortē. Nec metus mortis: Pater, inquit, si fieri potest transeat à me calix iste. Nec mors. Hæc, inquā, omnia non sunt diuinitatis. (Est enim diui-

nitas expers perturbationum, perpetuaque uita tenetur nulla morte consequente,) sed animalis, id est naturæ animi & sensus compotus. Animo autem, qui rationis & intelligentiæ est particeps sapientiam est cōsecutus, quoniam sapientia & ætate profecit: neque enim in diuina sapientia progressum fecit. A prima enim conceptione cōpleta fuit cōiunctio, & summa naturarū cōagmentatio, nec ullam diuinæ uirtutis habuit accessionem, sed in humana sapientia progressum fecit. Nam pro ætatis corporeæ modo et progressu humana in eo sapientia apparebat: quando quidem tanquam à prima conceptione infans perfectus exiit, habuitque digesta & composita membra corporis, propterea quod non pedetentim & sensim membrorum eius facta est delineatio & cōpositio, quemadmodum ait Magnus diuinisq; rebus eruditissimus Basilius in oratione quam in domini natalitijs habuit, Sic humana & diuina in eo sapientia à prima conceptione perfecta fuit, quæ scilicet ex parte homo erat. Nam ut deus non cœpit esse perfecta Dei sapientia, sed erat æterna. Progressu autem ætatis corporis, humanæ sapientiæ quæ in eo perfecta erat, documentum & specimen, progressus habebatur. Quod si humana sapientia fuit præditus, fuit etiam intelligentia. Sapientiæ enim intelligentia vis & origo est. Itaque Apostolus ait, Nos autem sensum Christi habemus. Et patres quorū testimonia atteximus imaginē Dei quæ in nobis est, ad



memem & intelligentiam exponendo accommodant. Si igitur hominem in quo efficiendo simulacrum suū imitatus est, sibi coniunxit, id est humanam naturam, certe naturam, quæ intelligentia & ratione cōtinetur, assumpsit. Si appetitum assumpsit rationi obedientē, eū etiam qui rationis est particeps. Neque enim naturam accepit mentis & rationis expertem. Si enim mentis et rationis expertem naturā assumpsisset, haud sane homo esset. Nunc eam quæ rationis est particeps, sibi coniunxit, quandoquidem homo natura est rationis cogitationis quæ particeps. Itaque ut omnes sancti patres duas naturas, sic omnes duplices proprietates quæ naturas attingunt, in domino nostro Iesu Christo posuerunt. Neque enim natura vlla sine proprietatibus ijs quæ eam efficiunt, constare vlllo modo potest. Qui igitur duas eius naturas fatentur, ij fateantur necesse est duas eius volūtates, id est duplicē vim volēdi, quæ ad naturam pertinet. Habet enim naturā deus voluntatem diuinam quæ omnia potest: & ut naturā factus homo, voluntatem humanam habebat, qua clam domum ingredi non potuit cum vellet. Neque enim certe ut opinor, diuina eius voluntas circūscribi poterat. Erat quidem certē in eius animo humano vis volēdi, qua ipse res eas volebat quæ naturam attingunt humanam, & animi sui voluntate ad res humanas ferebatur: quemadmodum diuina ea quæ dei sunt vnus et idem Filius Dei Christus, deus perfectus, et perfectus

homo volebat. Nec verò in eo sententia erat vlla repugnantia. Obiēperabat enim vltro diuina illius et paterna voluntati voluntas ipsius humana, eademque voluit eam velle diuina. Quoniā enim Adamus dei imperio nō paruit, sed arbitratus suo contrā quā diuina voluntas prescriberet fecit, id quod præcepti violatio est: nec quisquā eorū qui ex Adamo prodierunt, in oībus diuina volūtati obeduit, singuliq; homines diuinā volūtatē vltro ac spōte defugerunt (oēs enim peccauerūt ut ait Apostolus, et egent dei gloria) Dei filius salutarī Patris volūtate factus est hō, naturamq; humanam sibi vnā cū humana voluntate, quæ natura est, cōiunxit: hominis autē hypostasin non coniunxit, ne nature humane voluntas, quæ natura attribuitur, voluntate ea quæ hypostasin attingit, diuine voluntatis prescriptione discederet, sed ei sponte parēret in omnibus: atque ita vetus peccatum obliteraretur. Præterea voluntatem humanam habuit, B. Marci Euangelistæ sententia, quod clam domum ingredi voluit, nec potuit. Rerū igitur omnium præpotens diuina est voluntas, non imbecilla: imbecilla vero humana. Ita voluntate humana voluit, cum diuina eius voluntas approbasset, humanaque ipsius nature utendi suis, voluntate dico nō potestate, dedisset facultatē. Alio quoque loco ait, Pater si fieri potest, transeat à me calix iste, id est mortis poculum. Hic est naturalis vite appetitus & cupiditas, quam naturaliter animantes tā ea quæ ratione



utuntur q̄ ea quæ eius sunt expertes, cōsecuta sunt. Vē  
runtamen non mea voluntas fiat, sed tua. Ecce natura-  
lis rationis quæ compos mentis appetitio, quæ & pote-  
state & iudicio suo & quasi freno quodam appetitū  
cum qui rationis est expertis, coerces. Non mea, inquit,  
voluntas fiat, sed tua. Voluntas mea, humana est, qua  
nullum tecum habeo cōmercium. neque enim, ut ego,  
sic tu homo factus es, nec humanas perpeſsiones re-  
cepisti: sed voluntas tua mihi tecum communis est,  
qua & nature & diuinitatis sum particeps. Non e-  
nim descendi, ut id quod vellem facerem, sed id quod  
tu qui me misisti: nō ut humana mea uoluntas suo arbi-  
tratu tuæ repugnet: sed ut tuæ pareat, et quod volun-  
tati tuæ placet, id humana mea approbet. Voluntas e-  
nim Patris eiusq̄; decretum in eo positum erat, ut ipse  
Christus pro mūdi salute mortem perferret, cuius cau-  
sa sibi naturam humanam coniunxerat. Hoc enim in  
loco voluntas non vim ipsam volendi indicat, sed id  
quod cadit sub voluntatem. Neque enim ei propositū  
fuit, vim eam siue facultatem qua deus vult facere  
(est enim increata, principio quæ caret) sed id quod di-  
uina voluntas præceperat. Qua etiam significatione il-  
lud totum, Omnes voluntates eius in eis, intelligendum  
est. Nam nec multe sunt dei facultates quibus velit,  
sed vna: nec vis ea qua deus velle intelligitur, in san-  
ctis inest, quippe cum vna etiam sit solū natura diui-  
na. Quorum enim voluntas est vna, eorum etiam vna

natura est. Sed in sanctis voluntates dei insunt, id est  
eius præcepta. Demonstratum est igitur Christum ha-  
buisse ut duas naturas, sic duas voluntates, & duas  
actiones, quæ ad naturas pertinent, ut sit perfectus  
deus, & homo perfectus. Non enim perfectus est de-  
us, in quo non sint diuinitatis proprietates, et præterea  
natura diuina: nec perfectus homo est, qui perfectā ho-  
minis naturā nō habeat, nec oēs proprietates quæ natu-  
ram attingunt humanā. Habuit igitur diuinā uolūta-  
tem, qua ut deus ea quæ ad deū pertinent voluit vnā  
cū Patre & Spiritu, quorū ut vna est natura, sic vna  
ad eā accōmodata voluntas. Habuit etiā humanā vo-  
luntatem nature, id est naturalem vim volendi, ut ho-  
mo omnibus suis partibus absolutus, quemadmodum  
& mater, quorum sicut vna natura, sic vna est vo-  
luntas. Habuit præterea diuinā vim agendi, qua vnā  
cum Patre & Spiritu ea liberè uellet quæ sub diuinā  
actionem cadunt. In eo quoq; erat humana vis agen-  
di, qua liberè ea uolebat omnia quæ proposita sunt ho-  
minibus ad agendum. Non enim diuina voluntate la-  
tere voluit nec potuit, nec cibum capere aut bibere. sub  
nature enim humane non diuine uoluntatē hæc cadūt  
omnia. nec uerò diuina actione ambulabat, aut manus  
dilatabat & porrigebat, propterea quod non est diui-  
ne nature ambulandi vis aut manus dilatandi. Et ta-  
men vtraque in Christo natura cum vtriusque com-  
munionem ea & volebat & agebat omnia, quæ pro-



pria ei erant, cum humana eius tum voluntas tum agendi vis diuino ipsius imperio, & actioni ministrā se praberet. Vt enim per eius corporis actionem & functionem, diuina eiusdem actio munere fungebatur, (tenuit enim manu puellæ manum, eique dixit, Puella surge, & tactu ac verbo diuina vis agendi puellæ vitam restituit) sic humana illius volūtate diuina eius voluntas agebat. Cum enim voluit diuinitus, miraculum operatus est: & cum humana voluntate voluit, manum porrexit & dixit, Surge. Atque vt vno verbo finiam, omnia quæ humana voluntate voluit & egit, mundo fuerunt salutaria. Neque enim qua ex parte deus erat, ea quæ deū attingebant, operabatur: quippe cum non solius dei tactu, aut manuum dilatatione miracula ederet, nec qua homo erat, res quæ ad homines pertinebant, gerebat: nō enim solius hominis supplicia salutē mundo attulerunt, sed cū deus esset, hō factus est, nouāq; quandam et inauditā rē dei et iuri cōmunē edidit: diuinā quidē, sed quæ humana operaretur: humanā, sed quæ diuinæ ministraret atq; pareret, quæq; diuinitatis sibi coniunctæ signa præ se ferret. Vt enim ignis & ferri diuersa sunt munera & actiones (neque enim ignis secatur, sed incendit & illuminat ea vi agendi quam ei natura tribuit, & rursus ferrum non incendit, sed secatur & magnū est: cum autem ea coniuncta & copulata fuerint, coniunctē iam non distincte suum munus vtrunque exequitur, simul enim &

sectio & incendium existit, ferroque ignis, tum incendit, tum illuminat, cum interim non vna sit naturalis vis agendi, sed duæ, vna ignis qua vrit, altera quæ ferro natura dedit, diuidendi, & vtriusque sua est effectio: eius qua ignis præditus est, incendium: eius qua ferro data est, diuisio, quinetiam & ea quæ ad vrendum pertinet, diuidere, & ea quæ ad secandum ualet, incendere potest) sic in domino nostro Iesu Christo vtraq; naturā, ea quæ ad se propriē pertinet, altera adiutrice & socia exequitur: cum interea nec vna duæ sint, nec duarum sit vna effectio, & officium. sed humana eius nature sua sponte obedire & seruire diuino imperio & voluntati, suaque voluntate manum porrigere, & puellam tangere, iussu & imperio diuinitatis, quæ puellam tactu excitabat. Ita humane actionis finis in libera manus dilatatione, & tactu positus erat, diuinæ autē in puellæ excitatione. Quocirca nō dixit magnus Dionysius unam dei hominisque actionem, sed absolutē nouam & inusitatam. Vtraq; enim inusitata erat & diuina atque humana. Neq; enim numerū expressit his verbis, sed modū inusitātū. Dominus enim misericordia permotus in opus suū, cū peccati morbū spōte recepisset, quasi inimici superfusum semen totū id quod morbosum erat, assumpsit, vt totū sanaret. Quod enim non est assumptū, id curari nō potest. Quod autē assumptum est, ei salus est data. Quid autem in morbū inciderat ab initio, nisi mens & illius



rationis particeps appetitio, id est voluntas? Hæc igitur curationis indigebat, præsertim cum peccatū, morbus sit voluntatis. Si igitur sibi animum qui rationis & mentis est particeps, eiusque voluntatē non coniunxisset, profectō nature humane morbū minimè sanasset. Ob eā enim causam voluntatē quoque assumpsit. Peccatū autē propterea nō assumpsit, quōd peccatum eius opus non est. Vt igitur peccati morbum ab hoste insitum, ex animo exterminaret, animum eius que voluntatem assumpsit: peccatum autem quia non fecit, non assumpsit. itemque ut corpus à peccati interitu & dominatu liberaret, corpus assumpsit. Quæ etiam pœnas quæ primo peccato debebantur, suscepit, ut persoluto pro nobis eo peccato, quod ipsi cōtraxeramus, nos absolueret & liberaret. Nam quoniam seruus seruum liberare nō potest, ob eam causam ipse qui peccati expers erat, & liber, nec morti nec ulli alij pœnæ obnoxius, nostras pœnas pro nobis suscepit: nostraque causa est morte mulctatus, ut daret potestatem ijs qui eum recipiunt, filios dei fieri, & incorruptionis eis munus, vitamque angelorum parem, à doloribus & angoribus laboribus que vacuam, in renouatione quam futurum seculum promittit, concederet. Primum enim perferamus oportet ea mala omnia que primus Adamus à quo ortum habemus, in mundum inuexit: deinde secundi Adami munera assequemur, si modo eius insistamus uestigijs, legique libertatis pareamus, nec rur-

antem

In sec. 1. c. 1.

SIN

SM

22



69

BIBLIOTECA DE LOYOLA  
Sala Estante 7º Plúteo. 2

Archivo

Estante  
Plúteo